

III.

NEOVIDENSIS

Nro 69. (*Neovidensis* 1805. Nro 66.)

Ex Campis Elysiis

Oratio Politica

De nexu Principes inter, ac subditos.

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 30. Aug. 1805. (Neov. 16. Aug.)

Sententia:

Opes Regum — corda subditorum.

Tessera Leopoldi Imper.

Omnes politici scriptores cum Montesquio docuerunt verum esse: Imperantem, qui Republicam administrat, pro tali habendum, qui totam nationem repræsentet, esseque summa veneratione colendum. Ille est centrum virium publicarum, felicitatis nationis, atque sui populi. In ejus potestate est bellum indicere, & pacem sancire; illi natio debet suam salutem concedere. Nationis autem nomine venit pars nobilior ejusdem, quæ demta plebe efficit familiam, cui Imperans præest Patris instar. Hæc natio, seu populus, non tamen in sensu Roussovii, qui plebi, sub nomine populi æqualia jura cum bonis civibus attribuit, sentit naturalem in-

clinationem erga patriam, ergo etiam erga illum, qui in patria rerum potitur. In hac quodlibet membrum habet suam politicam, moralem, & physicam existentiam, adeoque uniuscujusque officium, & utilitas exigit, ut de Patria, ejusque Rectore bene, & honeste cogitet, atque agat. Tempore conversionis rerum in Gallia, hanc obligationem, & utilitatem incolæ in suum terribile detrimentum converterunt, atque tunc Leopoldus Imperator adoptavit sententiam: *Corda subditorum sunt opes Regum*. Numquid non erat tempori conveniens? Non erat insigne monitum datum populo, qui tunc facili negotio poterat in transversum agi?

Leopoldus hoc effatum usurpavit ex convictione, & experientia; Ex honestate, & addicto animo nationum, apud quas imperium tenebat, jam dudum prodiverant luculenta fidelitatis, & amoris erga suum Principem documenta; hanc felicitatem voluit ille continuatam, voluit sensa erga suam domum refricare; tristi illo tempore, quo famulus esse dominus cupiebat, quo omnis rerum ordo, atque obedientia exulaverat, collaudavit usu rerum probatam virtutem, ac fidem subditorum Austriae, inque suum assumpsit symbolum: *Corda subditorum sunt opes Regum*. Dicitur amoris, dicitur familiae Austriae proprium; vox boni Patris, vox mutuae concordiae, & tranquillitatis.

Et profecto cara nostra germanica patria semper bonos numerabat Patres Patriae:

Qua in re Augusta domus nostrorum Imperatorum optimo præivit exemplo. Reapse ab inimicissimo etiam licet hanc extorquere confessionem : Immortalis Maria Theresia rem suam familiarem ita simpliciter, & absque omni pompa instituit, ut vitam vixerit nonnisi opulento civi convenientem ; in se fuit parca, in omnes alios liberalissima. Hæc ratio administrandi rem domesticam tantas egit radices, ut Augustissima Aula Cæsarea in gravissimo regnandi munere, more tantum civium vitam toleret ; ejus enim *oper sunt corda subditorum*, subditi autem divitiis affluent. Hoc ipsum affirmat Gallicum gubernium in suis de 11. Augusti editis officiosis Ephemeridibus — quod in præsentibus rerum adjunctis attentionem meretur — Franciscus II Imperator est Princeps apertæ voluntatis, & vir recti exempli.

Hinc factum, ut olim plerique Germaniæ Principes in exemplum Aulæ Austriacæ respexerint, & imitando expresserint. Mansuetudine, ac clementia excellabant omnia germanica imperia ; sed etiam illi, qui nunquam a recto tramite deflexerunt, ad viam virtutis reversi sunt, & sic Germania plurium annorum decursu felicitate fruebatur, namque veræ divitiæ Principum in cordibus subditorum sitæ erant.

Hic status germanicæ felicitatis tempore ultimæ rerum conversionis in Gallia penitus evanuit. Multi populi orbatii sunt suis Recto-ribus, & novæ Regiminis formæ subje-cti ;

novus politicus rerum ordo invaluit, et quia novi Principes novo modo gubernant subditos, necesse est oriri varias dissensiones. Undique perstrepunt querelæ, & pervicacia; tanta est apud populos consuetudo veteris imperii formæ, ut se in sua nova peregrinos reputent, quamvis omnium commodorum se fieri participes affatim videant.

Cæterum hoc etiam in considerationem sumendum est: pleraque Regna, imo ipsa quoque singularia loca, calamitate belli multa debita contraxisse, quæ novis Principibus exolvenda incumbunt: Quapropter duplex onus impositum est Imperantibus, succurrere præsentibus regni necessitatibus, & expungere contracta debita. Subditus autem ægre fert insolitam exactionem, existimat enim, eam tantum ab arbitrio novi domini ad augendum ejus privatum patrimonium esse inventam.

Verum perperam ista effutiunt; Principes Germaniæ multo nobiliter cogitant, & agunt, conantur suas opes in cordibus subditorum accumulare. Possumus uti exemplis, quæ præteritis etiam temporibus honestati germanicæ gloriam conciliassent. Princeps Metternich est vivum antiqui germanici moris monumentum. Iste in ditionibus Cæsareis, atque imperii Germanici ad summam dignitatem Ministri evedus, & ad præcipuos pacis tractatus adhibitus, omnia sua merita, scientiam, & patrimonium insumsit ad promovendum bonum commune. Mul-

tis licet debitis oneratus, sortem tamen religiosorum in Cœnobio Ochsenhusensi, quod illi titulo compensationis obtigit, modo excellenti lenivit. Cœnobii Antistes percepit 8 mille florenos, & quilibet Cœnobita, quorum numerus circiter 50 æquabat, annuam pensionem 550 florenorum, præter habitationem, ligna, & alia necessaria. Hujus rei tamen nulla habita ratione, prima ejus cura fuit ære alieno se liberare. Expertus in eligendis viris, rem totam concredidit honesto germanico negotiorum gestori, qui cum eo ad eundem finem collaboravit. Excogitavit varia sacrificia, quibus posset voti damnari, eaque voluit esse regulam suæ futuræ vitæ. Post tam splendidas dignitates rediit ad simplicem privatam vitam, & hoc quidem propterea, ne uilus quidquam in eo amitteret. Jam debita maximam partem exoluta sunt, & quæ restant, summa pollent securitate. Tale exemplum omnino meretur in nostra patria omnibus proponi, *exempla enim trahunt*. Interea posteritas, in Historia debitorum Germaniæ primo loco leget nomen Metternichii, illique sua sponte occurret cogitatio: Verus Germaniæ, Princeps! vir omni laude dignissimus. Et iste est unicus titulus, quem is sibi jure merito vendicat.

O utinam pax foret, plura ejusmodi exempla possent in medium adferri! Sed bellum maritimum premit adhuc continentem. Parisinæ officiosæ Ephemerides de 11. Augusti sequentem referunt relationem, quam Proad-

miralis Villeneuve fecit ex mari 26 Julii ex distantia 40 horarum a promontorio Finis terræ, ita vero sonat:

Die 5 Junii reliquit unita Classis Insulam Martinicam. Die 9. Julii pervenit ad promontorium Finis terræ. Hic me vehementes venti, qui & rudentes, & vela labefactaverant, morabantur usque ad 22. qua viginti & unam hostilem navem mihi obviam ire animadverti, illico classem in aciem disposui. Admiralis Gravina Hispanicam classem collocavit ad primam lineam, ipse vero constitit in fronte. Cœlum erat valde nebulosum, quare hostis uti volebat, ad nos intra duos igues conjiciendos. Sed datis signis necessaria mandavi, quæ Admiralis Gravina magna animi fortitudine effectui mancipavit. Adgressus est hostem, sicque bellum inchoavit; at repente tanta ingruit nebula, ut nihil potuerim videre. Vis bellica sensim propagata est per totam aciem. Hostem impetebamus tormentis tantum ad lumen ignis hostilis, eum enim aliter non conspeximus. Primum in fine prælii observavi unam de hispanicis navibus male multatam, intra duas hostiles, quæ perinde multum labefactatæ erant: Tota nocte duæ classes sibi oppositæ perstiterunt. Orto sole vidimus hostem infra ventum remotum. Ex navibus gallicis læti allati sunt nuncii. Admiralis Gravina ardebat desiderio insequendi hostem, & denuo adgrediendi ex eo potissimum, quod duæ hispanicæ naves Raphael, & Firma defuerint. Ventus, & tempestas maris non ad-

miserunt, ut hostem ad novam pugnam adduceremus; Idem evenit sequenti die. In his rerum adjunctis arbitrabar mihi non esse integrum longius discedere a fine meæ destinationis, quapropter velis, & remis contendebam, ut me juxta datum mandatum cum classe Ferrolia conjungerem; sed usque in præsens adverso cum vento conflictor. Generatim hic conflictus utrique nationi gloriam peperit, & nisi faventibus spissis nebulis hostis terga vertisset, succubuisset nostræ fortitudini. Quotnam perierint, aut vulnerati sint, mihi nondum constat: Præfectus navis Intrepidæ occubuit; & qui Atlanti præfuit, vulneratus est &c.

Villeneuve.

Hanc relationem aliæ tres de 4. 11. & 24. Junii ab eodem Duce factæ, subsequutæ sunt. De occupatione sic dictæ *Rupis adamantinæ*, de intercepto præsidio in Insula Antigoa, & aliis duabus navibus; Præcedunt autem relationes Londinenses de pugna navali 22 Julii commissa; Item in variis Anglicis ephemeridibus circumferuntur proposita, & intentiones Russiæ, Austriæ &c. De quibus ultimis Monitor Parisinus prolixè disserit; nonnulla commemorabimus: Nunc ab Aula Viennensi dependet quæstionem decidere; In ejus manibus est bellum, vel pax. Si Anglia ex animo vult pacem justam, & convenientem, ponat limites suo odio, & stabilita pace satisfaciat communi populorum desiderio. Si Austriæ gratum esset, ut Galliæ, & Anglia

se mutuo convellant, faceret ordines, quibus Angli ad continuandum bellum animarentur; Sed Angli vehementer errant, tali politica non potest regi ab omni fraude alienus, & benemeratus Princeps, qualis est Franciscus II. Imperator. Meditaretur ille hostilia, aperte declararet bellum. Habet fortem, & exercitatum militem, atque numerosam hominum multitudinem; probe scit, bellum clandestinum & illo, & ejus natione indignum esse. Non dubitamus Austriam id intendere, ut bellum maritimum componatur, hoc enim ejus plurimum interest, hac ratione corona Gallica ab Italica separabitur, Russi deserent Corcyram, & Moream, Angli ex mari mediterraneo removebuntur; — tria, quæ Austriæ æque gravia sunt.

N U N C I U M. ***

D. Daniel Táallyai, L. R. Q. Civitatis Posoniensis Officii Consulatus Actuarius, in Domo antehac Ketskésiana, nunc vero Comite Carolo Eszterházia Nro. 82. insignita, in posteriori parte ædificii, contignatione prima habitans, genuina, ac generosissima Vinea Tokayensia, talia quidem, quæ Deus providaque natura per Solum Hegyallyense generi humano benigne concessit cum in Lagenis pro 2 fl., 2 fl. 30 kr.; tum & jam vastatim venum dat, atque ut hæc per Emptionem publici juris fiant, præsentibus Publico notum reddit.
